

RECENSIO

UNIVERSI CLERI DIOECESIS QUINQUE-ECCLESIENSIS,

DISTINCTE A TEMPORE AMOTAE CUM EXITU SE-
CULI 17-MI TIRANNIDIS TURCICAE, RESTITUTAE-
QUE IN HIS PARTIBUS TRANQUILLITATIS, USQUE
AD PRAESENS TEMPUS, COMMENTARIIS HISTORI-
CIS ILLUSTRATA,

PER

Josephum Brüsztle,

PAROCHUM OLASZENSEM IN DIOECESI QUINQUEECCLESIENSI.

Tomus IV.



QUINQUE-ECCLESIIS,
TYPIS ANDREAE MADARÁSZ (SIGISMUNDI SIMON)
1880.

CLXIII.

Parochia Szigetvár.

(Comitat. Simegh.)

4285.

Honfi ! ha föllépendsz dűledék várára Szigetnek,
Sirva ne emlits szót sajnos eleste felől :
Ott hős Zrínyi körül bátor daliái nyugosznak :
Gyönge panasz szózat bántja nagy álmaitak.

Vörösmarty.

Venimus nunc, ecce, ad Thermopylas Hungarorum, ubi interritus noster Leonidas ingenti animo pro patria letum oppetit!

Arcis Szigeth auctor dicitur Osvaldus Anthemius fuisse, qui anno 1450. in Hungariam venerat, opibusque florebat; hic arcem molitus primo turrim prae-grandem pro sua securitate struxit.^{a)} Arx ibi exsurgens, valide munita, seculo saltem 16-o inter alias capetaneos habuit Stephanum Dersffy, cuius milites mercenarii sine mercede, passim rapinis dediti, plus nocumenti quam emolumenti praestitere patriae. Post hunc exeunte anno 1555. sequebatur Ladislaus Kere-

a) Czinár juxta Topograph. R. Hung.

csényi, amplas in comitatibus Zagrabiensi et Baranyensi habens possessiones. Hic postquam capitanei officium per paucos menses gessisset, huic sponte se abdicavit. Excepit eum 1556. *Marcus Horváth*, alias *Sztancsics*, qui ex humili sorte ad magna evectus, ad intercessionem Francisci Batthyáni, ex locumtenente militari Jaurinensi praeficitur arcii Szigethanae.^{b)} Videlatur eotum in optima virili aetate constitutus, nam eodem anno primum matrimonio se devinxit. Corporis robore ac animi fortitudine praedito facile fuit dissolutum militem castrensem, et ipsam arcem negligenter custoditam in debitum redigere ordinem. Praesidio huic diu praeesse non potuit, nam anno 1561. circ. mense Augusto naturali deletus est morte. Georgius Draskovich eppus Quinqueecclesiensis, Marci Horváth bonus amicus, ddo Viennae 19. Sept. 1561. scribit ad collegas suos: se testamenti defuncti executorem et pupilli tutorem esse constitutum, ast testamentum, velut non legitime confectum, approbationem non tulisse. Cum vero defunctus Marcus plenariam administrati officii rationem nondum dederit, commisit rex, ut rations reddantur, et si aliqua parte debitor remanserit, ex rebus bonisque suis ante omnia cameram reg. contentare debere. Inter alia provisor dicti Marci habeat curam perquirendarum literarum quoad decimas ex bonis episcopalibus, quas eidem Marco praefatus episcopus ad dies vitae condonavit. Praeterea committit Draskovich, ut unus ex collegis cum veterano demortui Marci Horváth servitore, Georgio Poky ad Szigeth proficiscatur ad inquirendas et divendendas ibi defuncti res; qui ita continuat

b) Salamon Fer. „Az első Zrínyiek.“ 440.

epistolam: „Credimus autem istas res pretiosiores
haud commodiori tempore divendi posse, quam tum,
dum Dominus Nicolaus Comes a Zrinio designatus
in Zygeth Capetaneus cum magna populi frequentia,
et Dominorum plurimorum praesentia ad Zygeth ad-
venerit. — — Caeterum intelligimus inter reliquas
res Domini Marci unum reticulicum vulgo Szunyog-
háló vocatum, unum item Carpentum Turicum ex
variis coloribus constans, non magni pretii, quae ali-
unde erunt divendenda. Rogamus itaque Dominatio-
nes vestras, velint ea secundum aestimationem justam
pro competenti pretio mihi mittere. Maximum usum
eorum in itinere habere possumus. Pretium eorum
quanti per DD. VV. aestimabuntur, persolvemus.
Porro Spectabilis ac Magnificus Dominus Comes a
Zrinio laborat sedulo apud nos, ut Dominationibus
vestris prescriberemus, quod eaedem unanimi voto
parvam illam frameam, quae cujusdam Turcae erat,
quam D. Marcus quotidie ad latus habere solebat,
quae etiam erit divendenda, pro justo pretio dare ve-
lint, juxta aestimationem justam: Cum itaque aequum
postulet, svaderemus, ut ei potius, quam alteri cui-
piam vendatur. etc.^{a)})

Eodem autumno 1561. Nicolaus Zrinyi castrum
Szigeth ingreditur, istud per quinquennium strenue
propugnat^{b)}. Quod ipsam attinet funestissimam
castri Szigeth expugnationem, hanc secundum Fran-
cisci Forgách eppi Varadinensis descriptionem hisce
reddimus: Tandem Solymanus Calendis Aug. (1566.)

a) Koller VI. 70. et seqq.

b) Fusiorem historiam Comitis Nic. Zrinyi, item expugnationis
arcis Szigeth legere cupientes inviantur ad hung. opus Francisci Sal-
omon, supra citatum.

Sigetum pervenit. Arx atque oppidum erant fossa tantum discreta: rivus enim e proximo colle incerto alueo per plana decurrentis sparsas faciebat lacunas, et coecas fossas, unde effossa, quae circum erat, terra, immensa latitudine paludi simillimam fossam redderbat. Moenia atque propugnacula ex arte non saxo aut cocto latere, sed triplici ordine cratum, ferreis clavis, uincisque inter se junctorum duo et viginti pedes lata ac media humo solida, quamvis fortissimi muri vim habebant. Inerant peditum mille et octingenti, equites ducenti, civium centum ac quinquaginta, qui ultiro remanserant omnes Hungarici et Illirici nominis, mulieres ac pueri ad duo millia, currulia tormenta sexaginta, pulveris tormentarii et reliqui apparatus ingens copia. Nec aliud tam desideratum est, quam militum copia, quo sero animadverso missa duo vexilla Germanorum remeavere exclusa arcta obsidione. Expertum est nullam munitionem humenorū corporum robore praestantiorem, eadem hyeme lustrato per Consiliarios bellicos milite ducenti equites, ut superflui, dimissi, itidem plerisque in locis praesidia erant imminuta. Mox tamen crebescente rumore hostili mille pedites hungaros conscripturi, quamquam multa conquisitione, vix aliquot inerunt. Haud obscurum est Geberhardum Belezev Consilij bellici vetustissimum (novum officij genus recens inventum non multo ante mortem Ferdinandus auctore Maximiliano legit) gloriatum, suo Consilio annuis quadraginta millibus sumptus Fisci levasse. Sed haec Sapientia clade Hungariae constitit. Litterarum et linguarum nisi vernaculae ignarus, in clade ad Esecum infelicem paucorum stipendiorum orsus militiam, captusque ac tandem redemptus est, neque antea, neque

post unquam attigit. Avaritia usque adeo foedus, ut Joanne Peteo classis et Comari praefecto de explorationibus secum agente, censuerit decem pacios exploratori premium. At initium potiundi Sigeti ab oppido captum, quassatumque omnibus partibus vi tormentorum, simul fossae materia ac terra complentur: Jam Turcae ad oppugnationem succedunt, pugnant, instant, pellunt ac pelluntur, trucidant atque trucidantur, cum sustentatis aliquot arduis oppugnationibus adferuntur Caesari litterae Zriny castris apud Ovarum fixis, hostium immensas vires, et suorum plurimis jam amissis paucitatem docens, consilium se ab necessitate velle capere, ut oppido conflagrato in arce supremam fortunae aleam experiatur; sed disuasus ab veteranorum primoribus, qui priori quoque obsidioni praesentes meminissent, etiam oppidum, quanquam minus tum validum, conservatum, tractu belli multa evalescere, quae obsessis salutem, hostibus perniciem afferre possent, etiam Caesaris vires et Christianorum auxilia sibi ipsi ostendebant. Decimo quinto Cal. Sept. uisus universus hostilis exercitus per ingentia agmina discretus, quo etiam innumerae multitudinis ostentatio metum propugnantium augeret. Subeunt muros, et tanquam stataria pugna ac patenti campo per immensas murorum ruinas et late fossarum oppleturas fit praelium ingens; et hinc atque illinc strages. Sed alys ac alys non militibus, sed exercitibus succedentibus, nostri impares numero, omnes simul pugnare cogebantur, et non unum, sed multa praelia capessere, donec ad extremum corporibus, viribus, spiritu deficientes, tantorum exercituum, tot praeliorum impetu diei labore perpresso ac sustentato, inumbrante jam vespera in arcem se reciperent. Constat octingen-

tos superfuisse, cum rursus nova oppugnatio, nova laborum facies, nova moles periculi instaret. Ab tribus simul partibus tormentis dies et noctes propugnacula, moeniaque petita, tres moles ingentium castellorum similitudine saccis terra ac lana completis, cuius multo maximam copiam ex universa provincia congesserant, altitudinem moenium egredientes easdem ad partes mira celeritate constructae, super his delectae Janiciarorum manus cum tormentis impositae, nullum momentum fossam, vallum, aggerem, aut munimenta introrsus moliendi relinquebant, donec uno eodemque tempore averso etiam rivo, scissa ripagine aquarum, fossis materia, terra repletis ac cratibus desuper impositis, ad muros subirent, acerrime oppugnarent diem ac noctem juxta infestam reddendo, ut perpetuo labore ac vigiliis conficerentur, sed periculosissimum certamen IIII. Cal. Sept. (Decollatio Joannis Baptiste infausta Hungaris, fausta illis dies erat) initum, cum universus exercitus ad oppugnandam incubuisset. Nam Sulymanus morae impatiens et irritarum oppugnationum, accensus simul recordatione illius diei, felix ac faustum omen precatus, increpatisque Visiris expugnari jubet. Quin et ipse senili corpore languens, prisci tamen decoris avidus, equo impositus conspicuusque suis accendebat animos. Janicularis primo loco subeuntibus, miscetur praelium, fit atrox pugna jam missilibus ignibus, jam corpora corporibus, arma armis, vires viribus opponendo, ad extremum capto Janiciarum Aga et multa clade affectis, praelium excepere integri ac recentes. Tum praelium redintegratum iterum aliis atque alys succedentibus agminibus noctem totam et posteram diem oppugnando continuarunt. Nec ideo nostri remissius

agere pridie nonas Sept. eductis in conspectum totis copiis, et dispositis per turmas et cohortes parant praelium; materiam, ignem ac faces egesta antea terra aut vi tormentorum disjecta roboribus subjiciunt, inde materia in propinquuo pro munimentis compor-tata ignem corripuit, inde militum casae. Itaque simul pro ruinis pugnando, caedendo, Turcis invicem suc-cedentibus, nostris vix ad suspirandum spacio, deni-que vi atque flamma, in interiorem arcem compelluntur, in angulo sita propugnaculi vicem habebat, inter-medioque ponte multi obtriti, multi caesi ac praecipi-tati, hostium saevitiam perpessi sunt. Jam perventum erat ad summas rerum difficultates: jam cuncta ob-sessos praeter unam animi virtutem constantiamque, nam spes quoque sera, defecerant. Hostis crebro insultare, urgere, oppugnare, tandemque septimo Idus Sept. paratis omnibus, missilia tela ignem vomentia propinquis tectis ingerere, scandere muros, omnibus-que locis pugnare, postremum ferro et flamma nostri eo angustiae redacti ut patefactis portis erumpendum in arcem exteriorem putarent, ibique in orbem pug-nando pulcherrimi certaminis finem vel cum morte honestissima facere. Irruere hostes, et glomerari cir-cum, tum ponte et area confertissima hostium multi-tudine plena, subito tormentorum maxima arte ibi condita collibrata atque inflammata, in oppositos emisere, incredibilisque hominum strages punto tem-poris edita est. Nam non pilis tantum tormenta, qui-bus constipata acies certa ac miserabili clade lacera-batur, sed etiam Taxillis ferreis variisque metallorum frustullis usque ad summa ora compleverant, quae flammarum et pilae impetu expulsa grandinis modo in omnes partes lethali violentia dispergebantur. Erup-

turus tandem Zrinus cum suis ac terribile sui spectaculum pugnando edens intra pontem geminato ictu pilae ex Scloppetto trajicitur, at maxima et incredibili hominum clade victoria constitit caede, ferro, flamnis tota arce vagantibus: nam septem millia Janicarorum, caeterae multitudinis octo ac decem, varia pereuntium, nec enim vivi modo, etiam mortui ab hostibus velut poenas exposcebant, cum in turrim quandam saxeam pulvere sulphureo et missilibus ignibus completa desperatis jam rebus funiculos igne succensos arti collocassent, igitur capta arce cum innumera multitudo irrupisset, nec arcem modo, atque oppidum opplesset mixtis primoribus ex totis castris, sed circum patentem campum, tum repente inflammatis pulveribus, disjecta per omnes partes missilia tela, saxa, et quoquo versum inciderant, confertissimos hostes abstergebant, nec cominus tantum, sed eminus etiam eadem periclitantium sors; dum saxa per aërem volitantia, ignesque missiles passim corriperent obruerentque mortales, velocitate mali omne effugium praeveniente, saucii semineces, expirantes, ambusti, artusque discriptorum militum, cum ingenti strage caesorum, horrendum spectaculum visabantur.^{a)})

Horribile bustum!

Cogitavit Dominus dissipare murum filiae S. tenuit funiculum suum, et non avertit manum suam a perditione; luxitque antemurale, et murus pariter dissipatus est!

* * *

a) apud Koller VI.

Sabbatum fuit et septima dies mensis Septembris, quae charae patriae nostrae tantum vulnus inflxit. Nicolaus Zrinyi primum in dextera pectoris parte trajectus globulo, hoc nihili pendens ad strenue dimicandum animavit suos fideles, sed subito lethifero plumbo in temporibus tactus, mox exanimis prostratus est, qui juxta aliquorum historicorum sententiam 48-um, aliis (et fors rectius) existimantibus, 58-um annum vitae egit. Cum magnanimo hoc Heroe ex flore nobilitatis regni *Wolfgangus Papratovics, Nicolaus Kobáes, Petrus Patatics, Georgius Csáky, Paulus Istvánffy, Joannes Bajoni*, et fidelis vexillifer *Laurentius Juranius* occubuerunt. Periculum evasit *Casparus Alapy*, qui in postrema cohorte videtur locum habuisse; hic ulterioris dimicationis inanitatem animadvertis, abjectis vestibus suis, plebeisque indutus in quadam cella subterranea delituit; postridie in medium prodeuntem Turcae famulum rati, captivum abduxerunt. Incolumis servatus, ast in captivitatem abductus est etiam fidus Nicolai Zrinyi servitor *Franciscus Cserenkó*. Lapsu temporis Georgius Zrinyi omnes captivos redemit.^{b)})

Licet arx Szigethana 122. annis sub jugo turcico gemeret, tamen etiam huic tyranidi terminus est positus anno 1688. per gloriosa Leopoldi I. arma. Deditioinem arcis brevibus describit Franciscus Wagner S. J. consequenter: „Ante anni exitum Sigethum denique sicco marte in manus venit, Zrinii ac Solymanni mortibus aetate superioribus celebratum sitaque munitissimum. Obsidium hactenus Vecchia aciei structor rexerat, provide satis et vigilanter. Demum seu fastidiorum defessus, seu quia nimium inglorium

b) Salamon, op. cit.

putaret, cessando duntaxat, et excubitoris agendo partes, esurientium gulas subtractione frumenti constringere, seu denique Albaregalensium incitatus exemplo, oppugnantis quoque speciem assumere voluit. Pauca las militum centurias, tormenta duo, propius ad muros admovet. Accessuum obsidionalium speciem aliquam mentitur; suggestum informat. Turcae serio erumpunt, nec simulate, nec sine caede oppugnatores infictos in fugam conjiciunt. Jamque in eo erant, ut duas machinas humeris intro deportarent. Id conspiciati equites Norcarmiae legionis LX. ut fortuito ex itinere venerant, aeneam Turcis praedam excutiunt, insigni commilitones ignominia absolvunt. Vecchia gravem ab aula reprehensionem merito incurrit, non tam improvidae temeritatis causa, quam quod pro re pauciores caesorum numeros, ad elevandum dedecus, bellico Caesaris consilio ediderat . . . Caeterum ad restituendum Sigethi obsidium peditum signa aliquot, veteribus in laboris societatem submissa sunt, datumque in mandatis: opera ut eo pacto promoverent, utne desperatorum hominum incursibus se nudarent; circumjecta castella ad mutui societatem auxilii inter se connecterent, fossisque ac villis praemunirent. Ex ea re labascunt inclusis animi, nec diu post ditionem postulant. Impense flagitantibus venia facta, aliorum exemplo cum Caesare ipso transigendi. Ipse loci gubernator Asan Begus pro legato Viennam profectus, comiterque habitus, signatas Caesaris manibus tabulas gaudio illachrymans, multis osculis delibavit. Daunio Comiti reducendi hominis, atque Sigethanos iisdem, quibus Agrienses, conditibus in fidem recipiendi provincia est data.^{c)}

c) Koller, VII.

Antiqua arx Szigethensis non est confundenda cum exigui momenti munimento, hodie ibidem extra oppidum existente, quod est posterioris temporis productum. Expertorum virorum testimonio circiter in meditullio moderni oppidi, circa ecclesiam parochialem et forum nundinale locum habuit. Szigetvár fuit seculo superiori locus militaris, ubi commandans generalis, fere semper patria extraneus, habitationem tenuit. Disciplina in oppido fuit militaris, cui etiam parochus (uti infra videre est) ex parte subjectus erat.

* * *

Quod attinet ecclesiasticam hujus loci vitam priscis temporibus, de ea in defectu documentorum nihil certi proferre licet. Haec parochia in regesto collectae decimae papalis, prouti et reliqua loca in comitatu Simeghensi situata et ad dioecesim Quinqueecclesiensem pertinentia, prorsus non commemorantur.

Commemoranda venit *praepositura S. Lazari de Insula*, cui locus in Szigetvár assignatur ibi, ubi antiqua arx exstabat; quae uti Turoczius ait: „abeuntibus in tutiora Religiosis, ita exigente tempore, militari locum cessit praesidio.“ Prosequitur Belii Compendium Hungariae geographicum: „Hac in Insula, (nempe Szigethana) quae Lazari olim denominabatur, Praemonstratensium olim praeposituram fuisse ex annalibus sacri hujus Ordinis discas.“ — Layruelius, et post eum Cardinalis Pázmány eam statuunt, uti reipsa est, in dioecesi Quinqueecclesiensi; fuit olim filialis praepositurae Turóczensis.¹⁾

¹⁾ Czinár II. 32.

In visitatione canonica anni 1721. sequentes ad hanc paroeciam pertinentes enumerantur filiales : *Hobol, Basal, Ujfalu, Lukoviscse seu Lakócsa, Keresztur, Sz. Márton sive Vaska, Sz. László, Mamelik (Almamellék,) Solimán, Molvány, Nagy-Dobsza, Kis-Dobsza, Istvándi, Zádor, Darány, Dombó, Gyönyyös-Mellék, Várad, Bürrüs, Fok, Mosger (Mosgó,) Pata, Apáti, Merenye, Poklos.* In tota parochia eorum animae confessionis capaces numerabantur circiter 2000. Hodie spectant ad hanc parochiam loca acatholicorum Becczea, Dencsháza, Zsibóth, et praedia Domolos, Péterfa et Turbék. — „Eadem hac occasione de ecclesia Szigethensi haec referuntur: Ecclesia est *Divo Confessori Rocho* dedicata, olim moschea turcica, plumbo tecta; anno 1719. die 2. Julii in Dominicam 5. post Pentecosten incidente, per Illustrissimum ac Reverendissimum condam Dominum *Lucam Natali Eppum Belgradiensem*, contra canones, absque dote consecrata; interne sedibus cathedra, choro, et baptisterio bene provisa; habens a latere sinistro turrim turcicam praealtam, ante paucos annos fulmine tactam, et modo tecto carentem. Huic ecclesiae tria sunt altaria; majus *S. Rochi* noviter ex elemosynis piorum, arculario labore decenter constructum, et anno 1720. erectum, non tamen deauratum vel decoloratum; cuius major imago *S. Rochi* antiqua, superior autem nova SS. Trinitatis, altari insertae sunt.

Quando quidem haec ecclesia ordinaria dote destituta annuos stabiles proventus nullos perciperet, ac excepto prato Muszala nuncupato, ab Excllmo condam Generale Vécsey (Véchi) testamentaliter legato, item et altero, a se via facti per D. Commandantem Huin avulso, et generalatui ad praesens applicato; necnon

vinea deserta fossorum duorum in promontorio S. Nicolai, — fundis de caetero quibuslibet careret, ex quibus conservationem suam, et in dies necessariam restaurationem sperare quiret, ex ordinatione Rndssmi condam D. Sebastiani Glavinics, eotum generalis vicarii eidem ecclesiae hac modalitate consultum est: ut pro sepultura intra ecclesiam fl. 30. a persona majori, a minori vero fl. 15. — extra ecclesiam sub tecto, a majori persona fl. 12. a minori 6. Circa ecclesiam a majori fl. 6. a minori 3. accipientur soli ecclesiae cedendi, et pro utilitatibus ejus applicandi. A pulsu autem campanarum dueae partes ecclesiae, tertia parrocho pro meliori subsistentia, quod et de offertoriis intelligi voluit.“

Visitata est quoque in suburbio Kanizsensi capella mortuorum, cum coemeterio in septo, in qua ut pote capella altariolum B. M. V. cum candelabris lignieis, mappis, antipendio et lampade invenitur. Praeterea visitata est et altera capella extra suburbium Quinqueecclesiense, in campo situata, et distans unius horae itinere; in qua reperiuntur tria altaria sat commode exornata. Haec est capella in *Turbék*, de qua inferius.

In visitatione anni 1738. dicitur: dominium temporale est penes suam Majestatem. Habetur hic praesidium militiae germanicae et nationalis, nulla tamen capella. *Parochus una etiam capellanum militiae agit.* Schismaticorum sunt 30. domus cum libero servitio et exercitio religionis suae.* — In coemete-

*) Hodie quoque habetur ibi sat firma ecclesia gr. r. n. u. imo et poponem servare solent, quamvis eorum nonnisi 14. animae reperiuntur.

rio ad portam Kanizsiensem exstat capella lignea, *S. Annae* honori dicata.

Anno 1745. parochus nullam habuit qua capellanus militaris remunerationem, idcirco pro tali die 26. Octob. e. a. commendatur camerae r. h., ast nihil obtinuit. Successu temporis ejusmodi remunerationis particeps factus parochus, percepit annue 142. fl. 46. den. Anno 1783. hoc legitur notatum: „Cassato fortalito et militia, consequens est cessandam esse solutionem parochi pro servitiis militiae.“ — Magistri scholae fuerunt in Szigetvár anno 1721. *Petrus Horcsics*, eodem tempore organista *Abraham Schmidt*. 1738. *Laurentius Franciscus Luppmler*, 1756. *Bernardus Knoll*, ambo ludimagistri.

Ecclesia parochialis in Szigetvár est venusta, quae anno 1786. sumtibus propriae fisci et oppidanorum ex integro restaurata, tunc, ut videtur etiam turri ornata et eleganter picta exstitit. Haec domus Dei 12° longa 8. lata, est etiam crypta provisa, quae tamen a longo jam tempore obmurata est. Adeat praeterea in oppido ecclesia ord. S. Franc. prov. S. Ladislai, honoribus *S. Antonii Paduani* dicata, cui adnexus est conventus ignoti originis et fundationis. Testantibus PP. Franciscanorum annalibus usque ad annum 1552. a religiosis hujus ord. inhabitatus, per Turcas demolitus, et 1688. munificentia Gabrielis Véchi generalis commandantis restitutus est, data ipsis quadam moschea turcica pro adaptanda ecclesia, cui adnexus est conventus ligneus. Moderna ecclesia et monasterium anno 1736. ex piis fidelium elemosynis exsurrexere.

Cura animarum in Szigetvár dignoscitur mense Novembri 1696. resuscitata fuisse, nam ab eo tempore seduli patres Soc. Jesu ceu missionarii inchoa-

runt matricas (in nostra dioecesi post Quinqueecclesienses antiquissimas.) Hi continuarunt curam animarum usque ad annum 1710. His tunc recendentibus venit pro parocho ad Szigetvár *Sebastianus Glavinich* actualis canonicus Quinqueecclesiensis, qui munia parochialia a 9. Nov. 1710. usque finem Aprilis 1711. exercuit. Abhinc parochi sequenti se ordine exceperunt:

I. Carolus Josephus L. B. Zehentner, abbas *S. Martini de Vaska*, quem episcopus Nesselrod 1711. parochum oppidi *Szigeth* per Eleonoram Magdalenam Teresiam imperatricem constitutum, per canonicum *Sebastianum Glavinich* installari fecit. Huic denominationi semet opponens Primas regni, sequentem protestationem submisit: „*Nos Dei gratia Christianus Augustus sacrae Romanae Ecclesiae presbyter Cardinalis, Archi-Episcopus Strigoniensis etc. etc.* Notum facimus tenore praesentium significantes quibus expedit universis: Quod posteaquam divina disponente clementia ad regendam in Apost. Regno Hungariae Dei Ecclesiam legitime positi fuissemus, jam inde a tempore cepti hujus sacri gubernii nihil magis in votis habuimus, quam omnia ea quae ad officium nostrum pastorale pertinere dignoscabantur, pro gloria Dei et S. Matris Ecclesiae exaltatione rite ordinare, disponere et dispensare. Hinc sicuti in omnibus Ecclesiis jurisdictioni nostrae subjectis, de viris probis bonis ecclesiasticis et Plebanis sufficientibus prospicere maxime nobis curae fuit, ita etiam vacantem per abscessum PP. Societatis Jesu Parochiam Szigethensem, tamquam Parochiam exemptam in Comitatu Sümeghiensi, dum idoneo subjecto providere intenderem, sed nescitur quo consilio inductus, vel quibus

respectibus motus (in praejudicium continuae possessionis Archi-Eppalis, quam in dicta Ecclesia Parochiaque Szigethiensi, per felicem a turcis recuperationem, ejusdem Praesidii toto tempore, quo praefati PP. Societatis Jesu eandem Parochiam administrarunt, tam praedecessores nostri Archi-Eppi Strigonienses, quam nos ipsi pariter cum omni jurisdictionis nostrae Archi-Eppalis recognitione etiam per Magistratum et totam communitatem Szigethensem facta imperturbate semper habuissemus,) Exclimus Illmus et Rdssmus D. Comes Nesselrod Episcopus Quinque-Ecclesiensis pro repetita Parochia Szigethensi investituram Baroni Zehentner extradare, Eundemque per Canonicum Quinque-Ecclesiensem Joannem Sebastianum Glavinich (non obstantibus Magistratus et civium loci oppositione, simul ac contradictione,) primo installari, ex post vero per eosdem cives jam praevie obseratam Ecclesiam ibidem violenter perfringi, Eundemque introduci fecit, vi scandalosa et potentia mediante. Ne autem per taciturnitatem quoquo modo consentire videamus, praedictorum praetensae et invalidae installationi, violentaeque occupationi templi et Parochiae suprarecensitis in Praesidio Szigethensi factis et attentatis solemniter contradicendi omnia acta et intentata hoc in passu memerati Domini Eppi Quinque-Ecclesiensis cassantes, annihilantes, irritas, inrigorosas viribusque prorsus carituras pronunciamus et declaramus; jam fatum insuper Baronem Zehentner ab ejusdem Parochiae usurpatione, administratione, et proventuum perceptione, non minus ipsos quoque Magistratum, Cives ac inhabitatores praerepetiti Oppidi Szigeth ab omniam ordinariorum quam extraordinariorum seu stola-

rium proventuum eidem praestatione vel persolutione inhibitos esse volumus, prout contradicimus, reclamamus, cassamus, annihilamus, prohibemus et inhibemus, contradicendo palam, publice et manifeste; reservando nihilominus per expressum ex dictamine legum patriarcharum contra violentos procedendi facultatem, etiam sub poenis et censuris ecclesiasticis praedicto Zehentner tamquam intruso Parochio committimus et mandamus, ut ab omni parochiali jurisdictione et animarum cura abstineat, domumque Parochialem deoccupet, Harum nostrarum vigore et testimonio litterarum. Datum in Curia nostra Archi-Eppali Posonii die 23. Mensis Septembr. 1711. Archi-Eppatus nostri quinto. Cardinalis de Saxonia Archi-Eppus Strigoniensis.“ — Baro Zehentner, non obstante hac Primatis protestatione, ultra perrexit in Szigeth munia pastoralia exercere, nam episcopus Nesselrod, strenuus jurium episcopatus sui defensor, jurisdictionem in hanc parochiam sibi suisque successoribus competere remonstravit. Idem Zehentner qua abbas de Vaska et simul parochus Szigethensis interfuit 1714. synodo dioecesanae. Anno 1717. episcopus eundem ob accumulatos plures excessus ex Szigeth, reluctantibus licet dominis secularibus, officialibus quippe cameralibus, eliminari fecit; qui tentatis quidem omnibus parochiam recipiendi modis, (uti inferius dicetur,) hanc tamen minime consecutus, ad sedem suam abbatialem in *Vaska-Sz.-Márton* (hod. *Dráva-Sz.-Márton*) semet retrahendo ibi initia jecit hodiernae parochiae *Lakócsa*. (III. 499.) De hoc parocho suppletorie notandum venit: quod is in sua abbatia in *Dráva-Sz.-Márton*, ubi habitationem fixit, ultimis Decembribus 1723. diebus ad lustrandam suam oeconomiam excurrere

volens, ab indomitis equis raptatus et sauciatus occubuerit.

II. Wenceslaus Josephus Fischer, ortum 1670. *Pragae* in Bohemia habuit, ubi theologiam condidicit et presbyterio iniciatur; per episcopum Nesselrod 1717. amoto priori parocho suffectus, die 23. Maji per Georgium Kapucsy vicarium generalem installatus est. Hac occasione, quia Carolus Zehentner in contumacia sua perseverans, in obversum sententiae consistorialis a parochia recedere nullum in casum voluit, imo claves ecclesiae per se occlusae in curia provisoriali pro majori securitate depositas, Joanni Jacobo Terlichs-Cron provisori camerali custodientes tradidit, vicarius generalis novum parochum installaturus vim adhibere debuit, nam svadentibus commandante arcis, ac reliquis officialibus militiae garnisonalis in Szigetvár excubantis, fores ecclesiae per adductum fabrum serarium reserari, omnes campanas pulsari curans, parochum Wenceslaum Fischer ad ecclesiam introduxit; de quibus omnibus mox die 25. Maji praefatus provisor camerae regiae relationem praestitit, mediante Georgio Christiano Zennegg inspectore camerali. Interea depositus parochus Carolus Zehentner minime quietus Quinque-Ecclesias citatur, qui talibus ordinibus semet opponens, adhuc brachio seculari illuc deducitur. Idem abbas, extorto pro sui justificatione testimonio a senatu Szigethensi sibi 14. Octobris e. a. dato, scribit ad camerele consistorium, quibus literis parochiam Szigeth ab episcopo illegitime usurpatam, et per Joannem Volkra episcopum Weszprimiensem medio memorialis camerae regiae porrecti reclamatam, sibi restitui,

et dioecesi Weszprimensi incorporari petit. Paulopost itaque memoratus provisor Terlichs-Cron, ejecto ex domo parochiali Wenceslao Fischer, novitus introduxit baronem Zehentner; in cuius sequelem episcopus Nesselrod mense Aprilis 1718. sequentes ad suam Majestatem regiam dimisit literas: „Posteaquam Baro Zehentner, tam per Parochianos suos quam etiam vicinos militaris et politici status homines de diversis excessibus, irregularitatem post se trahentibus, apud me, qua dioecesanum ejus Eppum accusatus fuisse; ego vero revisionem causae hujus Capitulo meo commisissem, ubi ipse suo modo et ordine citatus, et propter demerita sua convictus, consequenter suspensus, plebania Szigethiensi privatus extitisset; quo de animarum cura sit provisum, Virm quemdam Ecclesiasticum, doctrina et virtutibus conspicuum loco ejus surrogaveram, quem muneri suo exemplariter satisfecisse multi testantur. Interea tamen idem demeritus Baro Zehentner causae suaे diffidentia ductus, dum expetitis a me literis novi iudicii semet ad expurgationem et exculpationem Quinque-Ecclesias in praesentiam Capituli profectnrum simulasset, facto ad Inclytam Cameram Hungaricam recursu, in vilipendium autoritatis spiritualis, literas quaspiam emendicavit ad Georgium Zennegg Inspectorem cameralem Budensem sonantes, vigore quarum per cameralem Provisorem Terlichs-Cron surrogato plebano viro exemplari, cum scandalo parochianorum et totius vicinitatis, turpiter ejecto, semet installari curavit; quid autem demum insolentiarum ibidem patraverit, ex annexis Vicarii mei Generalis literis uberius patebit.*)

Cum autem suppo-

*) Hae literae desiderantur.

suerim Excel. Cameram Aul. hujus facinoris nec conscientiam quidem, nedum participem esse: hinc pro tollenda hac confusione apud eandem congrua humanitate institeram; tantum tamen abest, ut eatenus ordines instituti fuissent, ut potius per eandem E. Cameram Aul. mihi jurisdictio disputaretur spiritualis. Quia vero bene constat ecclesiasticas Personas absque indultu Dioecesani spiritualia munia, sub poena censurae canonicae exercere non posse, superiores autem vi authoritatis sibi concessae, et de jure canonico competentis ad sedulam curam obligari, ne in locum Pastoris, et ad procurandam salutem animarum constitutae personae excedant, scandalumque populo praebeant; praeterea siquidem unumquodque eo modo solveretur, quo colligatur, si quispiam in suo foro competenti convincitur, ibidem etiam excusare, et ejusmodi judiciariam convictionem tolerare tenetur. Ad haec quoniam nemini falcem suam in alienam messem immittere liceret, ecclesiasticae personae in derogamen authoritatis spiritualis per seculares protegi non possent, tanto minus secularibus in jurisdictionem ecclesiasticam involare conveniret. — Proinde Matti Vrae Sacrmae humillime supplico, quantum medio Camerae sua Aul. memoratae Camerae Hungaricae benigne committere dignaretur, ut praedeclaratas literas suas in violationis jurisdictionis meae spiritualis, ad praedictum Zennegg datas et memoratam illegaliter peractam installationem revocari facere velit, benignam praestolaturus resolutionem. “In hujus sequelam camera aulica Viennensis prescripsit camerae hungaricae: ut rebus sic prouti praefertur, stantibus, ordines suos eatenus nefors datos contramandare, vel si remedium adhibere non

posset, cameram aulicam Viennae informare non gravetur. Ab hoc tempore quietos vixit Wenceslaus Fischer in Szigetvár dies. Anno 1721. visitatorem canonicum apud se salutavit, qua occasione haec adnotabantur: „Habet fundos parochus sequentes: in suburbio ad portam Quinqueecclesiensem terram sufficientem pro uno allodio, ubi quidam incolae collocati ad quosdam labores et alia onera perficienda, ipsi D. Parocho sunt obligati. Extra portam Kanizsensem exstant prata parochialia et aliae terrae, quas pariter nonnulli homines erga certum pensum loci parocho solvi solitum elocatos possident; item agros et fundos arabiles ad centum circiter jugera in diversis locis circa Szigethum, una cum vinea culta 13. fosorum, et tribus aliis desertis, in promontorio Turbék, ad hanc parochiam pertinentibus. Quia vero praespecificatorum fundorum liber foundationalis antecessori Baroni Zehentner per D. Sebastianum Glavinics vicarium generalem consignatus, penes modernum D. Parochum non existeret, ac probabiliter in cistis ejusdem B. Zehentner per inclitam cameram arrestatis, ad praesens p[ro]e manibus provisoris habitis, inclusus esse judicetur, hinc congruum visum est, ut liber hic foundationalis ab eodem provisore judicialiter repetatur. Parochus Szigethensis habuit eotum, qua capellanus militiae caes. reg. in praesidio Szigethensi, a camera ad instar solutionis pro servitiis 300. fl. Rhen. et ex domo anonaria quotidie quatuor portiones panis. Wenceslaus Fischer, postquam parochiam 17. annis gubernasset, obdormivit in Domino 1734. 14. Martii, aetat. 64. in ecclesia parochiali die 16. e. m. sepulcro datus; quam ecclesiam universalem constituit heredem.

III. Gabriel Cigani, cui *Flumen S. Viti* fuit solum natale; philosophiae ac theologiae *Graecii* studuit; post fata praedecessoris 1734. die 9. April. praesentatus huic parochiae illocatur. In visitatione sub hoc parocho 1756. servata commemoratur capella *B. M. V. Auxiliatricis* penes Turbék, ex solidis materialibus eleganter in honorem praetitulatae Matris dicata. Item et alia capella dicitur adesse in oppido, S. Joannis Nepom. aeque ex solidis materialibus structa, in qua solummodo ad vota fidelium celebratur. Dum parochiae hujus curam 26. annis gessisset, 1760. 20. Febr. ultimum exhalavit spiritum, aetat. 56. in crypta ecclesiae tumulatus.

IV. Georgius Kollár, postquam parochias in *Bogdása* et *Jováncza*, solerter gubernasset, 1760. huic in *Szigethvár* praeficitur, 14. Nov. adjuratus; ubi 1763. 5. Januar. v. a. d. districtualis nominatus, die 20. e. m. votum elicuit. Hic pastor dignissimus 1770. capellam in Turbék non restauravit modo, sed hac pro sanctuario relicita, adnecti fecit corpus justae magnitudinis, et sic amoene structam ecclesiam excitavit, ad quam ab illis temporibus usque in praesens devotus populus catholicus de aestate in magna copia confluere solet. Hanc ecclesiam instruxit Kollár tribus aris, adjunxit sacristiam, et paulopost in hujus vicinia exstruxit domum pro habitatione eremitae, qui circa ecclesiam aeditui obibat servitia. Haec ecclesia Georgio Kollár, in *Szigethvár* 1774. die 6. April. demortuo praebuit locum dormitionis ante aram majorem, qui vixit 54. annos. Heredes constituit ecclesias, 2. aurei pro fundo dioecesis desumti sunt.

V. Joannes Lépenyei, perprius in *Dombóvár*

administrator, die 20. April. 1774. per Ludovicum Festetics pro parochia in *Szigetvár* praesentatur. Ob continuas cum fidelibus dissensiones et rudem agendi modum, ultra 5. annos non fuit isthic toleratus, nam accepta 1779. consistoriali sententia, beneficio huic nuncium mittere coactus, initio Augusti pro magna Szigethvárensi laetitia *Quinque-Ecclesias* discessit, ubi in ecclesia cathedrali qua praebendatus, subin ut sacrista ac curatus hujus ecclesiae, demum qua bibliothecarius in residentia episcopali applicatur. Eo tempore coepit se „*Lethenyei*“ scribere. Vitae curriculum *Quinque-Ecclesiis* terminavit 1804. 31. Octobr. anno aetatis 81. sepultus in crypta PP. Franciscanorum.

VI. Georgius Keszthelyi, ex parochia *Vajszlo* una cum vice-archidiaconi dignitate, die 9. Augusti 1779. praesentatus ad *Szigetvár* transfertur, deposito die 23. e. m. juramento. Sub hujus pastoris cura 1783. arendator *Szigetvárensis* capellam *S. Floriani*, quae jam ex integro collapsa erat, noviter excitavit, adjecta modica domo pro hospitali. Eodem anno mense Octobri antiqua domus parochialis in *Szigetvár* vendita, et loco hujus alia, nempe moderna emta exstitit. Exantlatis in *Szigetvár* 11. annorum laboribus, cum fine Augusti 1790. ad *Duna-Földvár* promovetur parochus.

VII. Emericus Nitray, dum parochiam in *Kakasd* curaret, per patronum Ludovicum Festetics die 23. Sept. 1790. parochus oppidi *Szigetvár* praesentatur, die 14. Octob. adjuratus, isthic 27. annos exegit. Morte occupatus est in *Szigetvár* 1817. 16. Julii,

aetat. 75. in ecclesia parochiali tumulo illatus. Fusum et magnae extensionis, ast parvi valoris condidit testamentum; in eodem tamen fundat 30. fl. pro anniversario uno in refrigerium animae suae, dein 60. fl. pro duobus anniversariis parentum suorum, nempe pro defuncto Michaele et Elisabetha; cassae deficieniae 10. fl. reliquit. Quum autem culpabili suprafati parochi negligentia aedificia non minus ac tenuta parochialia ad extremam desolationem praecipitata fuissent, hinc tum ad relevandam ejusdem conscientiam, quum ad procurandam apud successores parochos attentionem et vigilantiam, dispositio testamentaria autoritate vicariali ea sub cautela confirmata est, ut libris imprimis et utensilibus titulo fundi instructi pro usu successorum retentis, exsolutisque funebralibus expensis, et depuratis, si quae liquidata fuerint, passivis debitibus, ex caetera substantia quarta pars sequestretur, divendatur, et obveniens inde summa in reparationem desolatarum aedium parochialium convertatur.

VIII. Conradus Góczy, antea parochus in *Keér*, pro *Szigetvár* 1817. 6. Sept. praesentatus, die 10. Januar. 1818. investitur. Hujus paroeciae curam usque ad autumnum 1841. gerens, saepius collisiones cum Szigethensibus habens, per hos quadam vice consistorio defertur, quo mox ad reddendam rationem evocatur. Ut autem ad judicium iturus semet praemuniret, senatum *Szigetvárensem* fraudulenter aggressus, huic exposuit suam beneficium permutandi intentionem, pro quo scopo securius assequendo rogar bonum sibi testimonium exarari. Senatus oppidanus nihil dolosi suspicatus, lubens et promptus extradedit scrip-

tum testimonium, quo obtento parochus coram consistorio non solum omnem a se removit culpam, verum etiam Szigethenses cum suis querelis confusione dedit. Autumno anni 1841. non adeo propter annorum pondus, quorum quidem jam 61-um completere perrexit, sed potius ob certum corporis malum in dies ingravescens, parochialia munia, uti decet, minime valens obire administratorem parochiae accepit in persona *Emerici Fraticsevics*, quo ad parochiam Lancsuk 1846. mense Novembri translato, parochiae penitus renunciare cogitur; et sic pensione donatus, in propria domo penes capellam S. Floriani habita, ad quam se cum adventu administratoris jam retraxerat, etiam ultra commoratus, paulopost lumen oculorum ex integro amisit. Senex et maturus pro aeternitate, hanc aggressus est *Szigetvári* 1863. 7. Junii, dum completeret annos 87. cum 3. mensibus et 11. diebus.

IX. Ignatius Hölbling, mortalibus *Quinque-Ecclesiis* 1813. 22. Novembr. datus, patre Ignatio pharmacopola, viro honestissimo et Deo conjunctissimo. Musas gymnasiales in urbe patria qua secularis, philosophicas vero in seminario qua alumnus visitavit, ex qua ultima scientia publicum tentamen in oeco lyceali subiens mox *Pestinum* pro audienda sacratori scientia mittitur; unde redux, propter defectum aetatis, in aula episcopali applicatur ut protocollista et actuarius, suscepto 1836. 24. Maji sacerdotio, idem officium continuavit, factus successive notarius sacrae sedis. Complectis autem in aula hac 11. annis, parochus in *Szigetvár* praesentatur 1846. ubi 1852. substitutus, anno vero 1854. ordinarius v. a. d. de-

signatur, jam antea nominatus consistorialis assessor; 1863. interfuit synodo dioecesanae, renunciatus examiner synodalibus; postbiennium titulo praepositi *OO. SS. de Castro Weszprimensi* decoratur.

Mortui in Szigetvár sacerdotes fungentes:

I. P. Franciscus Eisank, Soc. Jesu, superior missionis. † 25. Aug. 1709.

2. Josephus Aloysius Ludvig, antehac presbyter *Pragensis*; qua cooperator Szigetvárensis † ibid. 11. Nov. 1728.

3. P. Callistus Szüszmann O. S. Franc. prov. S. Ladisl. natus 1750. 6. Octob. *Quinque-Ecclesiis*, profess. 1770. 8. Sept. primitias domi 13. Mart. 1774. — Per plures annos in *Szigetvár* cooperator † ibid. 26. Mart. 1790. aet. 40.

4. Paschalis Marinkovics, presbyt. secular. dioec. *Diakovensis*; qua capellanus hospitalis militar. contracto morbo contagioso † 22. Junii 1809. aet. 48.

Alii isthic defuncti sacerdotes:

I. P. Archangelus, ord. Capucinor. conventus Quinqueecclesien. concionator germanicus. Ab invadentibus Rascianis fugae datus *Szigetvárinum* se contulit, ubi decessit 20. April. 1704.

2. Joannes Zsalecz, ecclesiasticus, probabilius alienae dioec. † in *Szigetvár* 23. Nov. 1733. aet. 47. (II. 798.)

3. Antonius Babócsay, capellanus Quinqueec-

clesiens. † apud parentes in Szigetvár 15. Maii 1770.
aet. 29. (II. 787.)

4. **Ludovicus Paulus Egerváry**, paroch. Sz.
Lőrinczens. † *Szigetvárini* 22. Maii 1780. aet. 57.
(II. 32.)

5. **Sigismundus Bertalan**, emer. paroch. Gör-
csönyensis, † 5. Maii 1848. aet. 50. cum quindena.
(II. 731.)